



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Quo affectu Monastica vita amplectenda. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

P A R S D E C I M A.

C A P. I. *De vita ac conversatione
Monastica.*

Vita Monastica non multo post Apostolorum tempora cœpit; quanquam multis persuasum sit, aliam tum fuisse, quam nunc est, Monachismi rationem; nemo tamen negaverit, hoc vitæ genus ad perfectionem Evangelicam maxime accommodum, modo secundum sanctissimam institutionem pure immaculateque observetur. Quia vero res est quam maxime ardua, in carne vivere, & carnis stimulis nullum locum dare, diabolique mille fraudibus (quibus præsertim solitarios aggreditur) feliciter semper resistere; idcirco in hoc vitæ genus nemo vel invitum intrudendus, vel pelliciendus, vel temere suscipiendus; sed, summa cura adhibita, post diligentissimam demum examinationem, Monachi ac Monachæ recipiantur. Quibus sæpe inculcandum est prius Christi verbum de Eunuchis, qui se castrarunt propter regnum cælorum, quum inquit: Qui potest capere, capiat. proponenda Sapientis sententia, quæ habet in hæc verba: Altiora te ne quæsieris, &c. rememorandum quoque diligentissime, quod Deo stulta & infidelis promissio admodum displiceat. breviter; admonendus omnis, ad hanc vitam adspirans, ut primum se totum excutiat, ne provinciam suscipiat cui non suffecerit; alioqui parabolæ Evangelicæ dictorio notandus, quod cœperit ædificare, & non potuerit consummare. Maxima autem cautio adhibenda est in puellis, propter sexus fragilitatem: ne, vel ob ætatem dehit voluntas, vel metus adsit, aut alius affectus minime Christianus.

C A P. II. *Neminem Monachismi professione temere alligandum.*

Certe sancti Patres admodum fuerunt solliciti, ut, non nisi voluntario ac spontaneo iudicio, virginitatis propositum atque habitus susciperentur; quod coacta servitia Domino ingrata esse dinoscantur: siquidem voluntarie Domino sacrificandum est; & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Domini, Psalmographus obsecrat. Quod enim quis non eligit, nec optat: quod non optat, nec diligit: quod non diligit, facile contemnit. Vnde consequitur, nullum esse bonum, nisi voluntarium; adeo ut, qui alio affectu, quam bonæ voluntatis, Monachismo se alligant, magis peccent quam mereantur. Ambigi enim non potest, crimen magnum admitti, ubi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam, si humana facta non possunt impune

calcari, quis de eis manebit, qui corruerint fœdera Divini Sacramenti? De adolescentioribus viduis Paulus pronuntiavit, quod, quum fuerint luxuriatæ in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 1 Tim. 5.

C A P. III. *Admonendi parentes, ne liberos in Monasterium detrudant.*

Admonendi quoque erunt parentes, ne liberos in Monasterium invitos detrudant; quod illos Væ longe gravius maneat, quam Phariseos, qui circumibant mare & aridam, ut facerent unum proselytum, & quum esset factus, fiebat filius gehennæ duplo magis quam ipsi. Matt. 23.

C A P. IV. *Quo affectu Monastica vita amplectenda.*

Qui Monasterium ingreditur, alio affectu quam simplici amore Dei ductus; veluti vel spem vel promissionem Abbatiam consequendi habens, vel in otio vivere affectans, vel lucris temporalibus inhians, vel honores ab hominibus appetens; quisquis talis est, non Dei filius aut Monachus, sed plane mercenarius est; quemadmodum superius Nos de Clericis etiam dixisse meminimus; cui, verendum est, ut, quum volet ingredi nuptias Evangelicas, objiciatur illud: Amice, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem? quodque, ipso obmutefcente, rex sit præcepturus ministris, ut, ligatis manibus & pedibus, ipsum in tenebras exteriores mittant, ubi erit fletus & stridor dentium. Matt. 22.

C A P. V. *In Monasteriis habendus, qui doceat legem Domini.*

Habendus est in virorum Monasteriis vir pius ac doctus, qui doceat Monachos, ab adolescentia meditari in lege Domini die ac nocte. ad quod munus, in Monasteriis Monachialium, sanctimonialis, cæteris vita & doctrina præstantior, deligatur. Debet autem, qui Monasterio præest, summa discretionem uti, maxime erga eos, quos compererit Divinis literis intentos aut contemplationi deditos, ut scilicet tales à sordidioribus officiis finat esse immunes.

C A P. VI. *Verbi prædicatorem in Monasteriis esse oportere.*

In Monasteriis quoque verbi prædicator erit pius quidem ac eruditus: nam nulla ar-
matura